

AN. CH. 1089. 66 Bullarium Romanum fens, ut ab excommunicatis, quondam tamen Catholicis, Episcopis ordinatis, si quidem non simoniace ordines ipsos acceperint, etsi Episcopos ipsos non simoniacos esse constiterit, ad hoc si religiosa eorum vita, & doctrina prerogativa visa fuerit promereri, poenitentia indicta, quam congruam duxeris, in ipsis, quos acceperint, ordinibus manere permittas.

§.8. Ad superiores autem ascendere non concedimus, nisi necessitas & utilitas maxima flagitaverit, & ipsorum sancta conversatio promeruerit; & hoc tamen ipsum rarius cum cautela est precipua concedendum.

§.9. De Presbyteris, Diaconis, ac Subdiaconis, qui post acceptum ordinem in aliquo crimine lapsi fuerint sive palam sive clam, constat quidem Canonum censura ab ecclesiasticis eos officii inhiberi;

§.10. Tuae tamen providentiae, discretionique committimus: utrum eorum aliqui, qui tamen infamiae notis non fuerint aspersi, necessitate Ecclesiae urgente, & ipsorum sancta conversatione promerente, in suis gradibus recuperari debeant.

§.11. Hoc autem secundum indulgentiam dico non secundum impetium, ut vestra major vestris in partibus contra haereticos habeatur auctoritas;

§.12. Salva tamen auctoritate communi, & sanctorum Patrum decretalibus institutis.

§.13. Si quem vero, quod ablat, aut post poenitentiam acceptam, aut ante acceptum officium contigerit peremptorio quolibet eorum, quae in lege morte multatur, sive clam sive palam occupatum crimine inveniri: eos maxime, qui adhuc mundo vivunt, ab omni eos altaris ministerio sequestramus.

§.14. Sicut enim poenitentiam agere cuiquam non conceditur Clericorum, ita & post poenitentiam ac reconciliationem nulli unquam laico liceat honorem Clericatus adipisci, vel Clerico ad altiores ordines promoveri; quia quamvis sint omni peccatorum contagione mundati, nullatenam debent gerendorum Sacramentorum instrumenta suscipere, qui dudum fuerint vas vitiorum.

§.15. Sane Insulam Angiam sub iure ditionis B. Petri ac Romanae Ecclesiae constat specialiter contineri. Sed, quia eorum privilegium, quod a Romana Ecclesia obtinent, non satis meminimus, causam facile determinare non possumus; salva tamen eiusdem privilegii auctoritate, tibi singulariter in Clerum & Populum illic habitantem (praeter Monachos) omnem concedimus Episcopalis regimini potestatem.

§.16. Ceterum, ut in eodem Cenobio Abbatem Catholicum regulariter vice nostra praestituere studeas, tuae obedientiae imperamus.

§.17. Nec solum in eo, sed ut in S. Galli Cenobio, & in ceteris, si quae sunt propriis Abbatibus desituta, nostra fretus auctoritate cum consilio, quorum interesse cognoveris, Abbates eligere, atque electos consecrare procura.

§.18. Idem etiam tibi studendum de Augustinensi & Carientis Episcopatu injungimus, nec non & de ceteris, ad quae Patavienis Episcopus advocari vel adesse nequiverit; & ipsi enim, quem admodum & tibi, Saxoniae, Alemanniae, ac ceterorum, quae prope sunt regionum, vice nostra

procuracionem injungimus, ut ordinationes improbandas improbetis, roborandas roboratis; & quicquid ecclesiastici negotii disponendum fuerit, communicato religiosorum virorum consilio disponatis, quo ad usque privatiorem annuente Domino Legatum Sedis Apostolicae suscipere valeatis.

§.19. Vos, quia Dei zelo fervetis, & scientia praecellit atque doctrina, omni cura atque sollicitudine utilitatibus ecclesiasticis infudate; Scientes, quoniam & nos in hoc tempore vestris libentissime utilitatibus annuemus, & operam dabimus. Laboribus autem Romanae Ecclesiae communicare, opis nostrae auxilio sublevare nullo modo pigri sitis.

§.20. Benedictio suarum vos omnipotens Deus ubertate perfundat, incolumes custodiat, & ad vitam perducat aeternam.

Data Romae XIV. Kal. Maii. (a)

Horatio Paforalis.

Benedictio Apostolica.

Data die Aprilis.

Presbyteros, Diaconos, ac Subdiaconos, in crimen lapsos, Canonum censuram submittit.

Guichardi providentia committit utrum eorum aliqui, qui tamen infamiae nota non fuerint aspersi, suos gradus recuperare debeant. Quae in lege morte multatur, occupatos criminibus, ab omni altaris ministerio sequestrat.

Post nullatenam liceat honorem Clericatus adipisci.

Episcopalem ditionem Gebhardo in Insula Augustini concedit.

Idem etiam de Augustinensi, & Carientis Episcopatu, aliisque vicinis regionibus studendum injungit.

Quali Frisingensi Episcopo sunt subiecti.

Bavaria Ducos perpetuo Canonice hujus Patroni.

Adhortatio ad Canonicos ad perseverantiam in disciplina regulari.

Decreta nonnulla pro observantia regularis vitae.

VI

Confirmatio Erektionis Canonice S. Mariae in Rettenbach, quae sub Apostolica Sedis protectione recipitur: confirmatioque bonis omnibus ad eam spectantibus, nonnulla eidem conceduntur privilegia.

Urbanus Episcopus Servus Servorum Dei, charissimo filio Udalrico Praeposito Canonice, quae in loco Raitenpuech ad honorem S. Dei Genetricis & Virginis Mariae sita est, ejusque successoribus canonice substituendis, in perpetuum.

Eddidit Hunsdus Hist. Salsburgens. T. III. pag. 99.

Potestas Pontificia per Petrum derivata.

Mart. XVI. 19.

Sicut infallibilis.

Luc. XXII. 32.

Esalm. xvi. 3.

Erektionis Canonice in Rettenbach per VVelfonem Bavariae Ducem.

Quae sub tutela Apostolica recipitur: leg. protectionem.

Confirmatioque bonis omnibus ad eam spectantibus.

Statuitur, ut Praepositi electio spectet ad Canonicos.

Potestatem ligandi atque solvendi in caelis & in terra, B. Petro ejusque successoribus auctore Deo principaliter traditam, illis Ecclesia verbis agnoscat, quibus Petrum est Dominus allocutus: Quaecumque ligaveris super terram, erunt ligata & in caelis; & quaecumque solveris super terram, erunt soluta & in caelis. Ipsi quoque & propriae firmitas, & aliena fidei confirmatio eodem Deo auctore praestatur, cum ad eum ait: Rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua; & tu aliquando conversus confirmaveris frater tuos. Oportet ergo nos, qui licet indigni, Petri residuum in loco, prava corrigere, recta firmare, & in omni Ecclesia ad aeterni arbitrium Judicis sic disponenda disponere, ut de vultu ejus iudicium prodeat, & oculi nostri videant aequitatem. Quia igitur fidelissimi Romanae Ecclesiae filii, Welfo Dux Bavariarum, & conjux ejus Judita, pro animarum suarum salute Canonicam fratrum, secundum regulam B. Augustini viventium, in loco, qui Rettenbach dicitur, constituentes eandem domum B. Petro devotione debitam obtulere: Nos tum pro reverentia & devotione B. Dei Genetricis, semperque Virginis Mariae, cujus nomine locus ipse dedicatus est, tum pro dilectione praedictorum filiorum nostrorum, tum etiam pro fraternitatis vestrae religione praestata Canonicam, cui Deo disponente praesidere cognosceris, in perpetuum ac in tutelam Apostolicae Sedis specialiter suscipimus. Tibi itaque tuique legitimis successoribus eandem regendam ac disponendam praesenti decreti nostri pagina confirmamus, cum omnibus, quae ei jam ex praedictorum Ducum facultatibus, seu aliorum concessa sunt oblatione fidelium. Quamobrem per praesentem nostri privilegii paginam apostolica auctoritate statuimus, ut quaecumque hodie idem Cenobium jure possidet, sive in posterum concessione Pontificum, liberalitate principum, oblatione fidelium, jure atque canonice poterit adipisci, firma tibi tuique successoribus & illibata permaneant. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat eandem Canonicam temere perturbare, aut ei subditas possessiones violenter auferre, minuere, & temerariis vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum sustentatione ac gubernatione concessa sunt, usibus profutura. Obstante te, nunc ejusdem loci Praeposito, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet surreptionis astutia praeponat, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum pars consilii sanioris elegerint. Consecrationes altarium, sive basilic.

Bull. Rom. Tom. II.

Præpositi, totiusque Congregationis permissione discedere; discedentem vero nullus Abbatum, vel Episcoporum, & nullus Monachorum sine communium literarum cautione suscipiat. Decimas quoque novalium ejusdem Canonice ad eandem pertinere decernimus, salvo vicinarum jure Ecclesiarum. Vos igitur, filii in Christo charissimi, oportet regularis disciplina institutione sollicitius ac devotius insudare, ut quanto estis a secularibus tumultibus liberi, tanto studiosius placere Deo totius mentis & corporis viribus aneletis, præcipue studentes Romanæ Ecclesiæ decreta veneranda servare, cujus patrocinio ab omni jugo viventium estis donante Domino præmuniti. Ad indicium autem huius a Romana Ecclesia libertatis, per annos singulos ad nostrum nostrorumque successorum usum quotidianum Albam lineam, & Stolum Lateranensi Palatio perfolvetis. Sane si quis in crastinum Archiepiscopus, Episcopus, Imperator, aut Princeps, aut Dux, Comes aut Vicecomes, Judex, persona quælibet, potens aut impotens, huius nostri Privilegii paginam sciens, contra eam temere venire, & eorum, quæ concessa vel statuta sunt, quicquam irritum facere, tentaverit, secundo tertiove commonitus, si non satisfactione congrua emendaverit, eum honoris & officii sui periculo subjacere decernimus, & a Corpore Christi, & Ecclesiæ, auctoritate apostolicæ potestatis segregamus. Conservantibus autem pax & misericordia a Deo presentibus & futuris sæculis conservetur. Amen.

Dona Lateranensi Palatio quolibet anno asserenda.

Solita electione.

Dat. die 1. Februarii anno Domini 1090. Pontificatus anno 11.

Datum Anagninæ Kal. Feb. anno Dominicæ Incarnationis MXC. Indict. XV. Pontificatus Domini Urbani II. Papæ. Scriptum per manum Lanfranci Vicegerentis Cancellarii sacri Palatii, cum signo ejusdem.

VII.

Privilegium, seu Decreta nonnulla pro Ecclesia Gratianopolitana, bonique ad eam pertinentibus.

In Chartulario Ecclesiæ huius editis Baluzii Miscell. Tom. II. Lib. II.

Exordium.

Urbanus Episcopus Servus Servorum Dei, carissimo fratri Hugoni Gratianopolitano Episcopo, ejusque legitimis successoribus, in perpetuum.

Matib. xvi.

Potestatem ligandi atque solvendi in cælis & in terra, beato Petro ejusque successoribus auctore Deo principaliter traditam, illis Ecclesia verbis agnoscit, quibus Petrus est Dominus allocutus: Quæcumque ligaveris super terram, erunt ligata & in cælis; & quæcumque solveris super terram, erunt soluta & in cælis.

Luc. xii. 32.

Ipsi quoque & propriæ firmitas, & alienæ fidei confirmatio eodem Domino auctore præstat, cum ad eum dicitur: Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua Petre: Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Oportet ergo nos, qui, licet indigni, Petri residemus in loco, prava corrigere, recta firmare, & in omni Ecclesia ad æterni arbitrium Judicis sic disponenda disponere, ut de vultu ejus iudicium nostrum prodeat, & oculi nostri videant æquitatem.

Psalm. xvi. 39.

Tuis igitur, dilectissime in Christo frater Ugo Gratianopolitane Episcopo, iustis petitionibus an-

Ecclesia Gratianopolitana

Hugoni Episcopo cum pertinentiis omnibus confirmatur. Salvo jure S. R. E. Decretum pro ejusdem Ecclesiæ, ejusque bonorum immunitate.

Ecclesia S. Donati eidem adjudicatur in perpetuum.

Ita tamen, ut nec vendi, nec donari, nec in feudum dari queat. De non diripiendis bonis Episcoporum defunctorum.

De non recipiendis his, qui ab aliquo Episcopo fuerint excommunicati.

Pœna contra violatores Privilegii huius.

Dat. die 1. Aprilis anno Domini 1090. Pontificatus anno IV.

(a) In Exemplari Baluziano legitur D. Incarn. MXCII. Indict. XIII. &c. anno 111. Ipse vero, ut annus 1091. cum Urbani Pontificatu cohereret, annum tertium in quartum emendavit. At non advertit fortasse eruditissimus Vir Indictionem XII. neque anno 1091. neque quarto Pontificatus Urbani anno convenire. Emendandam itaque sacius putavi chronologicam primam notam in Dom. annum 1090. quo pacto cætera melius componuntur.

VIII.

Approbatio Congregationis Monachorum Vallis Umbrosæ Ord. S. Benedicti, quæ sub protectione Sedis Apostolicæ suscipitur.

Urbanus Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectissimis filiis universæ Vallis Umbrosæ Congregationis fratribus tam presentibus quam futuris, regularem vitam professis, in perpetuum, salutem & apostolicam benedictionem.

Exordium.

CUM universis sanctæ Ecclesiæ filiis ex Apostolicæ Sedis auctoritate ac benevolentia debitores existamus, illis præcipue locis atque personis, quæ specialius ac familiarius Romanæ adherent Ecclesiæ, quæque ampliori religionis gratia eminent, propensiori nos convenit charitatis studio imminere.

Cœnobium Vallis Umbrosæ in protectione Sedis Apostolicæ suscipitur.

§. 1. Quia igitur divina propositum vestrum præveniente ac subsequente clementia, Religionis vestræ simplicitas bonæ opinionis odorem in locis, & prope, & longe positis, aspiravit: Nos vestro provectui, annuente Domino, provectus adjungere cupientes, Cœnobium vestrum pro B. Mariæ semper Virginis reverentia, cui dicatum est, in Romanæ Ecclesiæ proprietatem & tutelam, atque protectionem Apostolicæ Sedis accipimus; Et apostolicæ illud auctoritatis privilegio munientes, ab omnium personarum jugo liberum permanere decernimus.

Idem bonis omnia conservantur.

§. 2. Per præsentem igitur nostri privilegii paginam Apostolica auctoritate statuimus, ut quæcumque hodie vestrum Cœnobium jure possidet, sive in crastinum concessione Pontificum, liberalitate Principum, vel oblatione fidelium, iuste atque canonicè poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus, & illibata permanent. Illis successoribus dico, qui eundem Religionis ritum, & fidei constantiam conservare, & strenue omnipotenti Domino in eodem proposito deservire fategerint.

Et facultas conceditur Ordinatione a quocunque Antiquo recipiendi. Vide Concil. Trident. Sess. 23. c. 12.

§. 3. Christina, Oleum sanctum, consecrationis altarium sive Basilicarum, ordinationem Clericorum, liceat vobis a quocunque volueritis Catholico Episcopo, Romanæ Ecclesiæ gratiam atque communionem obtinente, percipere; qui nostra fultus auctoritate, quæ postulantur, indulgeat.

Nemo Cœnobium ejusque personas perturbet.

§. 4. Ad hæc censemus atque statuimus, ne ulli omnino hominum liceat idem Cœnobium temere perturbare, aut ei subditas possessiones auferre, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum sustentatione & gubernatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura.

Episcopi eos non excommunicent. Vide Concil. Trident. Sess. 23. c. 12.

§. 5. Nec ulli Episcopo potestas sit excommunicationem, aut interdictionem vobis ingerere, ut, qui in speciale estis filii Apostolicæ Sedis assumpti, nullius ulterius iudicio temere exponamini.

Hæc privilegia aliis locis a Congregationis communicantur.

§. 6. Quia vero plura jam Monasteria, Congregatio videlicet sancti Salvi juxta Florentiam, sancti Fidelis de Serumis, sancti Salvatoris de Sophena, sanctæ Mariæ de Nerana, sancti Cassiani de Monte Stalario, sancti Angeli de Passiano, sancti Salvatoris de Siculis, sancti Angeli juxta Pistoriam, sancti Salvatoris de Vagiano, sancti Petri de Mustiata, sancti Pauli de Reguo-

lo, sanctæ Reparatæ de Faventina Diocesi, & Congregatio de Rivis Casaris, & Congregatio de Fontana Tarnis, & Congregatio de monte Armato in Bononiensi Diocesi, inspirante Domino in eadem vobiscum formam consenserunt Religionis, nos & ipsis & omnibus, qui se in crastinum eadem Religionis usui ex integro sociare voluerint, præsentem privilegio libertatem apostolicæ auctoritate concedimus, quamdiu in eadem Religionis & consuetudinis unitate persistere procuraverint.

Caput constituitur Monasterium Vallis Umbrosæ.

§. 7. Constituimus autem, ut eorum omnium caput, vestrum, quod in Valle Umbrosana situm est, monasterium habeatur.

Abbas de omnium Abbatum consensus eligendus. Concil. Trident. Sess. 5. cap. 6.

§. 8. Sane cum terminus vitæ Pastori vestro divina dispositione contigerit, qui ejus loco substituendus fuerit, quia & vobis & aliis omnibus præesse debet, omnium, qui cæteris præfunt Monasteriis consensu & iudicio eligatur. Quod si forte ex ipsis Abbatibus quilibet, Domino disponente, ad hoc generale regimen electus fuerit, ad vestrum principale Cœnobium principaliter transeat. Et ejus mox iudicio, sicut in diebus venerandæ mem. Joannis, primi Abbatis vestri, factum constat, cætera omnia unita vobis Monasteria disponantur.

Horatio Patris ad Congregationem.

§. 9. Vos igitur, filii in Christo dilectissimi, nolite negligere gratiam, quæ in vobis est, quæ data est vobis per unitatem sanctæ conversationis & religionis. Hæc meditamini, in his estote, ut provectus vester manifestus sit omnibus. Participes enim Christi effecti estis, si tamen initium substantiæ ejus usque ad finem firmum retineatis. Mementote, quod Dominus ait: Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Itaque sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in Cælis est. Ad indicium autem, perceptæ hujus a Romana Ecclesia libertatis per annos singulos duodecim sagi... Laterano Palatio perfolvetis.

Matth. xxii. 13. Id. v. 16.

§. 10. Sane si quis in crastinum Archiepiscopus, aut Episcopus, Imperator, aut Rex, Princeps, aut Dux, Comes, aut Vicecomes, aut Judex, aut persona quælibet magna vel parva, potens aut impotens, huius nostri privilegii paginam sciens, contra eam venire temere tentaverit, secundo tertiove commonitus, si non satisfactione congrua emendaverit, a Christi & Ecclesiæ corpore eum auctoritate potestatis apostolicæ segregamus.

Pœna in perturbatores.

§. 11. Conservantibus autem pax a Deo, & misericordia presentibus ac futuris sæculis conservetur, Amen, Amen, Amen.

Pax pro ejus conservatoribus.

Dat. Romæ per manus Joannis S. R. E. Diac. Cardinalis anno Dominicæ Incarnationis MXC. Indictione XIII. VIII. Idus Aprilis, Pont. Domini Urbani Papæ Secundi Tertio.

Dat. die 6. Aprilis anno Dom. 1090. Pont. an. 119.